

Vir invīsibilis
fābula ab H.G. Wells scrīpta
currus et equī
dēversōrium
alimus et hospitiō
excipimus
Physicus ab experīmentīs, nōmine Grȳps, mīram et arcānam fōrmulam nātūrālem ōlim nactus est. Quī, cum locum ā cūriōsīs oculīs sēcrētum ubi experīmenta continuāret quæsīvisset, in oppidum Iping in Angliā, hieme summā, pervēnit.
Ignem supplicō tibi, cubiculum vērō et ignem!
Intrā, vir! Mercēs erit duo dēnāriī septimā quāque diē. Dum cēnam parō, calface tē ad focum!
Paulō post…
Cēna parāta 'st, vir. Licetne mihi petasum palliumque tuōs sūmptōs in culīnā exsiccāre?
Minimē, sed geram eōs, domina Aula!
Ignōsce, vir, oblīta sum sināpī super…ō… cōnscia nōn eram…
Quod magis frīgēbam et fatīgābar ut prius dīcerem, mihi explānandūm: mē investīgātōrem ab experīmentīs esse. Ad Iping vēnī sōlitūdinem dēsīderāns. Nōlō in opere sollicitārī.



Præter opus meum, īnfortūnium cōgit mē ad recessum quemdam. Ita enim oculīs aliquandō ægrōtō et doleō ut diū mihi in tenebrīs inclūsō manendum sit, inquam.
Edepol intelligō, vir!
Postrīdiē sarcinæ dominī Grȳpis, duæ arcæ, capsa librōrum, corbēs duodecim rēs in strāmentīs tēctās habentēs ā statiōne Cōllis Dūmōsī perveniunt.
Fer hūc corbēs, domine Aule. Etenim sat diū eōs expectō. Tū autem, plaustrārī, arcē bēstiam tuam ā mē!
Subitō canis crūs dominī Grȳpis adorītur...
Ō, redeundum est mihi ad cubiculum!
Morsus est. Oportet mē vīsere eum!
Itaque dominus Aulus in cubiculum Grȳpis irruit, prius autem quam intelligeret quid aspicerētur, rēs quædam latēns eum in pectore verberāvit.
Dominus Aulus incertus et plāgam suam cūrāns discessit, Grȳps autem paulō post ad jānuam appāruit dēversōriī.
Pænitet mē canis, vir. Momorditne tē?
Minimē, numquam cutem frēgit! Festīnāns fer illa!
Dominus Grȳps, corbibus raptim vacuīs factīs, citō incēpit operārī. Tum autem...
Utinam nōn ineās sine pulsātiōne! Investigātiōnēs meæ... minimus strepitus, ostium dissonāns... oportet mē petere ā tē...
Tantum attulī tibi cibum, vir. Potes ōstium occlūdere, sī tibi placet.



Cum Domina Aula discessisset, Grȳps cēnātus studium in opere suō pōnēbat.
Nequeō...trecenta mīlia... Numquid tōtam vītam peragō? Sustineamne? Sustineam vērō!
Intereā garriēbat dē novō hospite vulgus.
Vīdī, inquam, per scissūram brācārum ejus, cutem tamen ejus nōn potuī vidēre. Putāssēs aliquid pūniceum appāritūrum esse, nihil autem appāruit!
Per Jovem, sīc pūniceus est nāsus ejus ut fūcus!
Prōcēdente autem tempore, garrulitās permanēbat.
QUŌMODO QUÆSTUM FACIT?
Maleficus est quī pœnam effugit!
Displicet hoc mihi!
NŌN CRĒDŌ ISTĪ HOSPITĪ
CŪR NŌN SĒ OSTENDIT?
Quid tantæ lagēnæ in cubiculō ejus?
Cūr gerit illās fasciās?
Multō tempore post, doctor Coxa, medicus vīcānus, dominum Grȳpem convēnit dōnum petēns quō cūrātrīx oppidānōrum ægrōtōrum reperīrētur.
Veniam mihi dā ingressō...PAPÆ!
Paulō post in vīcī sepulcrētō...
Vicārī! Vicārī! Īnsānusne fīō? Modo in dominī Grȳpis cūbiculō fuī... et vīdī, vīdī... Immō vērō īnsānus fīō!
Quid negōtiī, doctor? Quid factum est?
Cum in Grȳpis cubiculō, dōnum petēns, essem, homō vel animal nāsum mihi rāsit. Deinde Grȳpem propius aspexī, illīc stantem s... sine brāchiīs. Tū quidem rīdēs, ego autem, inquam, horruī!
Ha, ha, ha! Nimia mīra memorās!


Noctibus posteā paucīs, vicārius uxorque ejus strepitū expergēfactī prūdenter īvērunt quæsītum.
Invēnit argentārium! Decem sēstertiōs. Nēmō autem est hīc! Quis accendit lucernam?
Audī, sternūtāmentum quod expergēfēcit mē! Et iterum sternūtāmentum!
Adspice, ōstium aperītur!
Et nunc clauditur. Nēmō autem trānsīvit!
Paulō post in dēversōriō.
Ōstiī pessulī redūctī sunt. Sciō autem mē herī id clausisse!
Ōstium dominī Grȳpīs apertum est, ipse autem nōn est in cubiculō, sed... sed vestīmenta ejus adsunt.
Fac videam. Enimvērō rēctē dīcis. Quid ergō facit is sine vestīmentīs suīs? Ista rēs mīrābilis est. S... sternuistīne?
Immō vērō tē putābam sternuisse!
Subitō rēs mīra facta est.
Heu! Dæmonia. Sciō dæmonia hoc facere. Lēgī dē eīs! Ecce, omnia saliunt saltantque!
Festīnantēs exeāmus dē cubiculō hōc! Dominum Vindicem ferrārium trāns viam accersam!
Paulō post...
Quid dē vāsīs et aliīs rēbus in āere volantibus?
Vērum dīcis! Tantæ lagēnæ in cubiculō ejus! Dæmonia in vāsīs posuit! Opus est nōbīs eum exclūdere! Nē iterum redeat! Utinam scīssem ex oculāribus et capite fasciīs obvolūtō!


Aliquantō post, cum domina Aula perturbātiōnem superāsset...
Ō bona mulier, cūr cibum mihi nōn parāstī et...
Nōlī mē bonam dīcere..volō scīre quid suprā faciās sellæ meæ... et volō scīre quōmodo cubiculum tuum vacuum fuerit, tū autem iterum ingressus sīs. Et cūr persolūtum nōn est mihi dēbitum... et
Dēsine! Neque quis sim intelligis nec quid sim! Tibi ostendam, medius fidius! Tibi ostendam!
Dominus Grȳps, manum ad ōs apposuit et nāsum falsum ā vēlāmentō ablātum in manum dominæ Aulæ dēposuit.
Ō!
Hercules! Fierī nōn potest! Omnīnō nōn potest! Ipse...Heu mihi!
Expectābant cicātrīcēs quidem et turpitūdinēs terriculaque tractābilia, nihilum autem nūllō modō!
Paulō post...
Quid...Quid istud?
Peream sī domina Aula vērum nōn dīcēbat! Capitātum autem an nōn, comprehendam eum!


Condiciō mea forsitan est insolita, nōn autem injūriōsa. Cūr tantum malum patior ā vigile? Dīmitte mē!
Nōn invīsibile persequor, sed effrāctūram. Domus enim perfossa'st argentumque ablātum. Vērī similia autem indicia tē profectō indicant! Cōnsiste!
Istī Grȳpem ita tractāvērunt ut ipsum ad vestīmenta exuenda rēvērā adjūverint. Quī autem invīsibilis factus est
Ades, eum tenē! Suīs rēbus sē exuit! Abiit! Eum nōn videō!
Brevī tempore vir invīsibilis in āerem pallidum extrā dēversōrium ēvānuit. Deinde posteā, cum ferē mīlle passūs ab oppidō Iping pervēnisset, occurrit mendīcō quī bīna calceāmenta majōra ægrē cōnsīderābat.
Āh, quanta bēlua regiō ista! Cum decem annōs hīc adsim, tantum bīnās caligās habeō, caligās vērō mendīcās!
Sed tamen caligās!
Prōrsus! Heu heu! Videōne vīsiōnēs? Loquēbarne ad mē ipsum?
Nōlī perturbārī. Inānī speciē nōn dēciperis! Aspice! Ego silicēs ad tē jactābō, tū dēinde crēdēs mē vērum esse!
Heu heu! Lapidēs loquentēs... sē ipsōs jaculantēs, ego autem nihil videō! Dēsine! Crēdō! Quid.. quid vīs?
Ā tē adjuvārī volō ut vestīmenta nancīscar.. et perfugium.. dēnique alia!
Stupeō. Nihil enim longē spectātur præter sīnum Terræ. Vōx venit tunc.. lapides..
Quiēsce, quia quod tibi ēlēgī, id tibi faciendum est. Moneō autem nē mē prōdeās!



Nōn tē prōdam! Nōlī hoc dīcere! Quæcumque fēceris, quæcumque jusseris, facere ista volō!
Paulō post dominus Mīrābilis, mendīcus, ingressus in dēversōrium "currus et equī", ambulābat ad cubiculum Grȳpis.
Heus tū! Cubiculum superum illud prīvātum'st!
Quid? Prōrsus! Sine mē bibere cerevisiam, sīs, domine!
Introeundum mihi est in cubiculum ejus ut quæ ipse cupit capiam. Fortasse possum ā postīcō dēversōriō introīre!
Dominus Caucasus tabācārius, ā trans viam caupōna, mendīcum dēversōrium exeuntem prōspicit.
Vah! Hospes mīrē sē gerit!
TOBACCO
Paulō post.
Et īdem hospes ē postīcō dēversōriō prōserpit, portāns sub ālā fasciculum. Quidnī fūr?


Prehende fūrem!
Cōnsiste!
Subitō persequentēs sine causā offendunt.
Quid est, prō..
Vah!
Paulō post…
Numquam fūgissēs, nisi illōs retinuissem. Tū īnstrūmentum vīle es, mihi autem tē ūtendum erit!
Vīlissimum īnstrūmentum sum!
Ego prævalidus nōn sum, cor autem meum timidum'st. Nervōs atque vīrīs nōn habeō ad quæ vīs! Praetereā quid mihi prōdest?
Cūrāberis, Mīrābilis! Cōnfīde!
Ego tibi dīcō, domine, mē idōneum nōn esse!
Quiēsce! Cōnsīderandum mihi est!


Per aliquot diēs, in nōnnūllīs oppidīs, mīra fīēbant: nam nummī ē māchinīs dispēnsātōriīs ēvolāre vidēbantur...
...Nummī ē mēnsīs argentāriīs ēvolābant...
...Nummī ex hominum pērīs ēvolābant...
...Cum autem hominēs capere nummōs cōnārentur...
...Hī ab invīsibilī vī dētinēbantur!
Vah!
Postrīdiē in oppidō Arctiō, dominus Mīrābilis, mendīcus, irrūpit in dēversōrium, cui nōmen Hilarēs clāvigerī...
Succurrite! Vir invīsibilis īrāscitur mihi! Persequitur mē! Succurrite!
Claude ōstium! Quis venit? Quid tumultūs?


Vir invīsibilis est, inquam! Aspicite! Nunc autem saxa per fenestram jacit!
Utinam virgam meam habērem!
Aspicite! Ōstia exedræ aperiuntur!
Sed nēmō erat in exedrā! Vir invīsibilis illīc est!
Ōh! Venit ut mē prehendat!
Succurrite! In culīnam mē pellit! Succurrite!
Veniō, hospes!
Teneō eum! Teneō eum!
Mēcum pugnat! Mēc... vah!


Adest alicubi... Prehendite eum!
Hīc est! Teneō eum!
Vah! Mē ferīvit!
Ōstium aperītur. Ipse exit!
Cavēte! Tēgulās in nōs jacit!
Documentum dabō eī!
Utinam ūna ē glandibus in eum inciderit!


Adferat aliquis lanternam et venīte ad tentandum solum. Num teneō eum?
Prope in domō medicī Campī.
Quid negōtiī illīc? Quis stultus revolūtōriō jacit in Arctiō?
Turba vidētur sub monte esse ad Clāvigerōs!
Paulō post tinniit tintinnābulum.
Quis fuit, ancilla?
Fugāx jocō pulsāvit, domine!
Medicus Campus in cubiculō usque ad tertiam vigiliam operātus est. Humī autem extrā conclāve animadvertit...
Sanguis?
Etiam sanguis?



Campe, medice Campe!
Quid? Quis iste?
Nōlī perturbārī, Campe! Vir invīsibilis sum!
Itaque vērum'st! Illās nārrātiōnēs audīvī... Estne fascia quam geris?
Rēctē, Campe... auxiliō tuō maximē egeō. Ideō nōlī timēre!
Fierī nōn potest...exeō...vah!
Nōlī nūgārī, Campe! Num aliquem invīsibilem potes effugere?
Sīlē nunc! Nōlō tē lædere! Nōnne meministī meī, Campe? Grȳps, ab Ūniversitāte Studiōrum.
Grȳps! Tū es Grȳps?
Ego sum, medice Campe!


Quālī opus est fascinātiōne ut homō invīsibilis fīat?
Nōn est fascinātiō sed ratiō quæ intelligī saltem potest!
Vulnerātus doleō. Dac mihi cibum et potiōnem!
Istud vērō larvās tollit!
Nunc mēntis compos es! Dabisne mihi pallium?
Subūcula, pedūlēs, soleæ placēbunt mihi!
Omnia. Rēs autem ista īnsānissima in vītā meā!
Ō nova et mīra! Quōmodo autem fit?
Multa passus sum, Campe, posteā autem ūnā agēmus ego et tū! Prīmum autem mihi dormiendum est. Jam diūtius enim vigilō!
Cūr vērō nōn dormīstī? Cūr?


Quia maximē recūsō ā proximō meō comprehendī! In malam crucem! Nunc enim in animō tuō nōtiōnem impressī!
Gravor mē tibi dīcere nōn posse quaecumque nūper fēcerim, quia lassus sum. Fortasse crās. Nunc enim opus est mihi aut dormīre aut perīre.
Nunc ā tē discēdō, Grȳps. Bene quiēscās!
Nōnne somniō? Vir invīsibilis? Utrum aliī furunt an ego?
Posteā...
Juppiter! Sīc ācta diurna: Tōtus pāgus Sūssexiæ furit! Vir invīsibilis viās percucurrit quōquōversus feriēns...
Estne nōn sōlum invīsibilis sed etiam furiōsus? Prōnus ad necem?
Medicus Campus statuit sē vigilēs certiōrēs facere.
Hoc mihi faciendum est. Optiō nōn datur.


Grȳps expergēfactus est...
Rēs omnēs ad tē attinent. Nam hominēs suum invīsibilem proximum sēnsērunt, nēmō autem scit tē hīc esse.
Grȳps medicō Campō dē suā indāgātiōne nārrābat!
Prīmō Cæsarēæ in hoc incidī... lūx mē tenēbat... dēnsitās optica! Tōta rēs obscūrīs nexa est!
Sex mēnsēs modo nōn labōrāveram ante quam lūx per ūnum rēticulōrum subitō fulgenterque exīvit!
Longiōre tempore opus mihi erat et pecūniā! Cum quantam potuī ā patre cēpissem, labōrem perrēxī!
Incēpī perīcula in animālibus facere...
Dēnique aliquandō assecūtus sum.


Cum fatuī inter vīcīnōs putārent ā mē animālia lædī, dominus īnsulæ jussit mē abīre.
Paulō post sēnsī et ad mē chȳmica valēre!
Īrātus fatuīs hominibus īnsulam incendī ut vestīgia mea cēlārem!
In viā Dūrā vīdī caupōnam rēs quibus indigēbam habentem.
VESTĪMENTA
Caupōnārius, cum in caupōnam mē esse quōdammodo sēnsisset, cum sclopētō vēnit quærēns mē…
Ego rēs quibus indigēbam cœpī. Cētera autem ab actīs diurnīs scīs.



Quid ergo faciēmus? Quid tibi cōnsiliī est?
Solum versūrus eram. Tē autem vīsō, cōnsilium mūtāvī!
Audiam quidem tuum cōnsilium, Grȳps, nōn autem tēcum cōnsentiō, scītō! Loquere!
Sævum rēgnum quærō! In urbe quādam sīcut Arctiō istō tuō captā, sævē rēgnābō!
Hoc nōn cōnsentiō, Grȳps! Cūr somniāns dēcipiēs hominēs? Quōmodo fēlīx eris?
Audī, Campe! Gradūs ascenduntur!
Nūgās! Quidnī fallāris?
Minimē! Fac videam!
Fac videam, inquam...quid tū...prōditor!


Grȳps, cum statuerit sē omnīnō invīsibilem fierī, vestīmenta exuit.
Apage mē...ubicumque sīs...Ō! Jugulum meum... strangulās...
Cum medicus Campus exanimātus in pavīmentum cecidit, tum vir invīsibilis, ōstiō patefactō, ad scālās cucurrit!
Cavē, cavē! Fugit!
Vah!
Abīvit! Effūgit!
Furiōsus et inhūmānus est! Pavōrem iniciet! Nihil eī obstat!
Comprehendendum quidem est!


Ūtendum tibi est ūniversīs virīs et certē prohibendus ipse nē discēdat. Sī enim abīverit, rūrem trānsībit ut vult. Quis autem scit quid ille factūrus sit?
Paulō post tōta rūs sub lēge mīlitārī cōnstitūta est. Nam trāmina nōn sinēbantur sistere, lūdī litterāriī intermittēbantur, domūs conclūdēbantur ad prohibendum virum invīsibilem nē ederet nēve dormīret.
Per tōtum diem nē vestīgium quidem inventum est præterquam...
Aspice illīc!
Miserum dom. Vīcostātium! Cūr voluit tālem hominem cædere?
Iste vir invīsibilis īnsānit, tibi dīcō!
Postrīdiē medicus Campus litterās in arcā epistulāriā invēnit.
Hoc prōscribit prīmum Terrōris diem. Portus enim Arcti nōn amplius sub rēgīnā est.Præfectō vigilium vestrō reliquīsque eōrum narrāte illum sub mē, Terrōrem, esse! Hic enim prīmus annī diēs est, quō novus ōrdō sæclōrum incipit, scīlicet virī invīsibilis, ego autem sum Vir Invīsibilis Prīmus! Initiō quidem rēgnum erit leve. Prīmō enim diē, exemplī grātiā, ūnum supplicium erit, hominis cujusdam nōmine Campus. Hodiē autem Mors eum īnsequitur.
Heu! Vigilēs mihi certiōrēs faciendī sunt dē hōc! Cōdicillōs ad eōs mittam!


Tintinnābulum pulsāstīne, domine?
Pulsāvī cupiēns tē ad præfectum vigilium epistolam hanc cōnfestim ferre.
Paulō post.
Ministra tua in virum invīsibilem incidit, ō Campe!
Quid? Intrā cito, decuriō!
In præsidiō nunc est, mente commōta. Coāctī enim sumus cōdicillōs tuōs ab eā auferre!
Horribile!
Repente fragor et strepitus factus est per domum!
Hoc est superior fenestra!
Vir invīsibilis omnēs fenestrās frangēbat!
Jānuīs clausīs, vitrum foris cadet. Ille autem pedēs suōs secābit.
Itaque canibus ūtēmur! Ad præsidium ībō ut eōs indūcam! Habēsne revolūtōrium?



Alterum nōn habeō!
Tū quidem tūtus eris hīc, ego autem hoc tibi reddam.
Grātiās agō tibi, Campe! Nunc ad ōstium!
Tē jam jam ēgredī oportet. Nōlī eī spem ingrediendī dare!
Cum decuriō paucōs pedēs ā domō Campī ambulāsset...
Manē parumper, ō homō, et tuum in domum reditum mihi indulgē!
Ubi es?
Quō cōnsiliō vādis?
Quō vādō, meum est. Tē autem invīsibilem an nōn...
Subitō vir invīsibilis aggressus est.
Nēquāquam
Heu!
Satis est! Nunc sclopētum habeō.


Vir invīsibilis tardē ad domum ambulābat.
Quōdammodo intrandum mihi est in domum illam... Fortasse per ingressum culīnae.
Ecce secūris! Ita prōrsus ejus indigeō ad perfodiendum ōstium!
Vir invīsibilis, secūrī sublātā, ōstium dēiciēbat.
Intereā vigilēs duo ministram territam ad Campī domum redūcēbant. Quī cum ad ōstium postīcum adīssent atque nescīrent quæ juxtā domum fierent, tintinnābulum pulsāvērunt.
Deō grātiās vēnistis!
Quid... Quid negōtiī, domine?


Vir invīsibilis est. Abstulit sclopētum meum ab Adam.
Quis est ille fragōr?
In culīnā est aut erit. Secūrim habet. Īte hāc.
Adspicite!
Claustra frēgit!
Cavēte! Ēmittit!
Ābīte, vōs duo! Illum Campum volō!
Tē autem vigilēs volunt!
Ūnus vigilium, rūtābulī potītus, aggreditur.
In sclopētum tuum, ō vir invīsibilis!
Heu!



Hoc autem secūrim tuam irritam faciet, sī aliud quiddam māchināverīs!
Ubist ipse?
Nesciō. Optimum nobis vidētur tentāre eum.
Dīc mihi, ubist medicus Campus? Ō Campe!
Abiit! Necessest eum ad vīcum rediisse!
Medicus Campus per viam fugiēbat ut salvus ab invīsibilī terriculō esset.
Mihi opust abīre, abīre! Grȳps furit!
Illī baculīs agrōs tentantēs, ipsum quærunt. Oportet mihi ad eōs accēdere. Illīc salvus erō!
Medicus Campus fatīgātus currēbat, tunc autem...
Tē capiam, Campe!


Nōn! Nōn!
Dīmitte mē!
Tē cōnsequor, Campe!
Mox tē superveniam!
Aspicite! Audīte! Duās vōcēs! Dispergiminī!
Dispergiminī! Hīc adest! Aciem īnstruite!
Tē superveniō,
Campe!
Vir invīsibilis Campum sub aure ictum vacillāre fēcit.
Ō!
Nunc tē teneō,
Campe!
Id vērō patēbit!


Subitō Campī fortūna conversa est!
Ecce! Teneō eum! Succurrite! Dētinēte eum! Pedēs tenēte ejus!
Virō quidem invīsibilī vīrēs adhūc suppetēbant...
Nōndum superor, Campe!
Campus autem ab invīsibilī malō dējectus est!
Heu!
Vīcānī sīc circulābantur...
ut vir invīsibilis, similis mūris implicātī, furiōsē pugnāret!
Cavēte!
Heu!
Teneō eum! Vah!
Prehendete eum!


Cum inānēs essent virō invīsibilī vīrēs, prōtinus...
Miserēminī, miserēminī!
Cēdite! Vulnerātus est!
Nōlīte dīmittere eum! Simulat!
Nōn simulat! Ōs ejus madet! Medius Fidius! Nōn spīrat! Nōn sentiō pulsum!
Aspicite!
Pedēs ejus appārent!
Ōs Grȳpis quōdammodo vidēbātur īrā pavōreque commōtum.
Tegite eum! Tegite ōs!
Vir invīsibilis vestīmentīs ē turbā plūribus tēctus est. Dum autem medicus Campus figūram quiētam dēspicit...
Deus misereātur animæ ejus!
Fīnis